Clemens IIII. Post huius obitum vacavit papatus
annis tribus et amplius.

Gregorius decimus[a]. Tandem fuit vocatus
quidam Theobaldus[a] de Terra Sancta,
canonicus Leodiensis, ad papatum,
unde versus:

Per subitum saltum fertur Theobaldus in altum.
Ex odio fratrum fit pater ille patrum.

Vocatus autem iste est Gregorius
decimus, de quo quidam dixit:

Gregorius denus congregat omne genus.

Iste in Lugduno tercio pontificatus f. 13'
sui anno celebravit concilium magnum,
presentibus quasi omnibus mundi prelatis, Grecis et
Tartaris. Ibi statuit dari decimam sex annis continue
a se ipso, a cardinalibus, a patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus cuiuscumque ordinis et universo totius
mundi clero in subsidium Terre Sancte. Tempore
illius concilii, quod duravit duobus mensibus, multi
mortui sunt ibidem, episcopi et nobiles, clerici et laici.

Innocentius V.

Adrianus. Iste fuit dyaconus cardinalis et ante
consecrationem mortuus est, stetit
enim in papatu diebus 14.

Iohannes XXI. Iste studens in camera sua
cadente testudine super caput[a] mortuus est.

Nicolaus III. Iste Karolum regem de Urbe
eiecit et suum fratrem senatorem fecit anno pontificatus
sui secundo. In vigilia apostolorum Philippi et Iacobi
factus est terremotus magnus valde Rome et in
Tuscia et duravit 4 diebus et 4 noctibus, et ceciderunt
multa menia, multe turres, multi mortui sunt
sub ruina turrium et edium suarum.

Martinus IIII.[b]

Honorius III.[b]

Nycolaus IIII.

Celestinus V, qui renunciavit[c] papatui.

Bonifacius VIII, qui sextum librum decretalium
compilavit,[d] multos episcopos transtulit, et multa mirabilia per eum suis temporibus sunt perpetrata.

Benedictus XI.

Clemens V,[e] prius dictus Bertrandus archiepiscopus Burdegalensis, qui Avinione in publico consistorio
auctoritate apostolica mandavit, ut religiosi tam exempti quam non exempti interdicta ~~publica~~ ordinariorum
debent observare.[f]

---

a) denº

a) primum d e corr.

a) suum add. alia manus in marg.

~~b) III. post corr. IIII. c.~~

c) enunci alia manu in loco raso.

d) hucusque prima manus, pergit altera coaeva.

e) alia manus pergit

f) variis manibus sola nomina — Pius 4. addita sunt